

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Initia doctrinae physicae**

**Melanchthon, Philipp**

**Francoforti, 1550**

**VD16 M 3471**

Tertium argumentum

**urn:nbn:de:bsz:31-106565**

- Totamq; infusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,  
&c.

Secundum argumentum.

Quod non habet alterationes, non est subiectum  
generationi & corruptioni.

Cælum non habet alterationes

Ergo nec generationi, nec corruptioni obnoxium est.

Minorem ita confirmant, quia manifestum sit  
multis millibus annorum, nullam in cælo deprehensam esse alterationem.

Hoc argumentum etsi speciosum est, tamen non est demonstratio. Rursus enim hoc opponitur, quòd cum unica sit prima causa infinitæ potentiæ, sequitur non esse plura infinita.

Tertium argumentum.

Tempus est æternum.

Igitur motus est æternus.

Valet consequentia, quia tempus est mensura motus.

Antecedens confirmat, quia aut cœpit tempus in tempore, aut in aliquo Nunc, seu Instanti. Si in tempore, sequitur antea fuisse tempus. Fuit igitur æternum. Sin autem in aliquo Nunc, idem sequitur, Non enim potest intelligi Nunc, nisi continuans tempus. Semper igitur fuit tempus. Intelligitur enim tempus ante illud Nunc.

Respon-

LIBER II.

Responsio.

Nego consequentiam, & ratio est, quia cum tempus definitur usitato philosophorum more, usum est tempus esse mensuram motus, quae coepit cum primo mobili. Sed cum tempus generaliter intelligitur cuiuscunque rei duratio, non tantum est mensura motus.

Deinde non absurdum est, tempus, quod coepit cum primo mobili, incepisse in aliquo Nunc, inchoans uidelicet illam durationem. Ut enim in Linea est punctum inchoans, continuans, et terminans, ita in tempore, quod est mensura motus, cogitari talia instantia possunt.

Quartum argumentum.

Nullum in circulo potest adsignari punctum inchoans motum :

Ergo motus caeli sempiternus est.

Responsio.

Non est necessaria consequentia à figura ad durationem. Et sicut in circulo arte facto, cum mouetur, aliquod est punctum, à quo fit initium, ita in caelo fuit aliquod punctum, à quo fuit initium motus, sicut puncta sunt Luminum & Planetarum, quae sunt motae in progrediendo aut regrediendo, ut puncta solsticij, quorum ratio reddi non potest, sed testimonia sunt, hunc mundum non extitisse casu, sed à mente architectatrice conditum esse, et motuum leges ac motus consilio architecti sic ordinatas esse. Anaxago

¶ 66 vi-